Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8477
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



In primis si nichil fuerit quod prohibeat flothometur cephalica deinde flothomo. venas frontis vel sanguisugas applica in eis, aut in naribus et sicut quod prohibeat saltim ex venis frontis. aut venarum narium sanguinis fiat extractio et scito quod est utilis, et omni speci frenesis confert emorroydarum provocatio. similiter aurium scarificatio. Cura frenesis de colera rubea

Frenesis colerica medicina solutiva indiget, sicut est aqua fructuum et syrupo violarum et dyasirocost. et alia que diximus in soda. Linimenta in principio rei ultima sunt ex oleo ro. et aceto. conquassatis et alia que diximus et empla et cappurgia et suffumigia et tu elige ea in capitulo de Soda. Et si vigilias patitur affer ad locum hunc que diximus in sahara et alienet omino cibaria grossa et aquam frigidam. Et scito quod in sanguinea indigetur resolutione plus, et extinctione minus et in colerica econtra, hoc enim studio sanabitur si deus voluerit.

Cura. Cap. de litargia.

Huius egritudinis sunt quinque res. quas nominavimus in frenesi. aliter atque aliter accepte. prima est occupari in subtractione materie cum clisteribus fortibus et acutis et cum vomitu et interdum cum ventris solutione. Secunda est convertere materiam ad oppositum et diversum et derivare de parte in partem et hoc quidem completur cum fricationibus extremitatum et compressione dolorosa in eis facta et ligaturis fortibus et effusione aque calide in eis et ventosatione sine scarificatione. que procedat descendendo, sicut ubi gratia incipiendo a nucha et collo subdescendendo ad spatulas et brachia et crura. et est res efficax. Completur etiam 2a res cum sternutatoriis et gargarismatibus et scarificatione. aurium et provocatione emorroydarum et menstruorum. Tertia res convertit regimen ad hoc ut repellatur materia que transmittitur ad caput aut resolvatur. transmissa et completur in principio rei cum medicinis repercussivis, sicut est oleum ro. proprie conquassatum cum aceto. Et completur in processu cum repercussivis in parte, et in parte resolutivis sicut qui recte oleo ro. et aceto misceri docuit castorium conquassatum cum eis et suppositum. Et adhuc re multum procedente cum resolutivis tamen sicut dicemus post. Quarta est regimen in dieta et aliis exterioribus et completur cibis et potibus convenientibus sicut est aqua ciceris et aqua ordei. cum bulbis pororum et ysopo et ruta et ydromelle et aliquantum pipe pauco si multum non febriat et alienetur aqua frigida omnino. et completur etiam locando eos in domo lucida plena ymaginibus in qua sit strepitus et tumultus loquentium et stantium vehemens cum inquietatione egrorum provocando eos ad iram et iurgia ut non profundetur in somnum exercendo coram eis sonitus et strepitus horribiles et laboriosos, Quinta res convertit regimen ad sedationem accidentium que sunt subet et sompnus gravis et soda que non sentitur et obliuio loquendi et obliuio vrinandi et egrendi et aliorum et hanc rem complent administratio rerum vigilias facientium et prohibentium subet et sedantium soda et removentium obliuionem et incitando eos ad loquendum. et vigilandum et euellendo pilos eorum et